

ratione animæ compositionem formantis, in qua est veritas, prout significat, vel intelligit rem eo modo quo est: & sic hoc quod est istum peccare, est quoddam ens rationis, (4) prout verum dicitur; & sic à Deo est: non enim nisi à Deo esse potest talis rectitudo, ut intellectus rem accipiat eo modo quo est, & eodem modo verbis eam exprimat.

Ad secundum dicendum, quod forma hominis in idolo potest dupliciter considerari: vel secundum quod est figura quædam; & sic proculdubio à Deo est, à quo omnis forma est: vel secundum quod est ordinata ad id quod decens eam (5) non est, vel conveniens sibi, scilicet ad hoc ut adoraretur; & secundum hoc à Deo non est: quia secundum hoc nihil est, cum secundum negationem debiti usus hoc dicatur.

Ad tertium dicendum, quod, ut supra dictum est, ens dicitur dupliciter. Uno modo quod significat essentiam rei extra animam existentis; & hoc modo non potest dici ens deformitas peccati, quæ privatio quædam est: privationes enim essentiam non habent in rerum natura. Alio modo secundum quod significat veritatem propositionis; & sic deformitas dicitur esse, non propter hoc quod in re esse habeat, sed quia intellectus componit privationem cum subiecto, sicut formam quamdam. Unde sicut ex compositione formæ ad subiectum, vel ad materiam, relinquitur quoddam esse substantiale, vel accidentale; ita etiam intellectus compositionem privationis cum subiecto per quoddam esse significat. Sed hoc esse non est nisi esse rationis, cum in re potius sit non esse: & secundum hoc quod in ratione esse habet, constat quod à Deo est.

Ad quartum dicendum, quod in creatis contingit esse similitudinem Dei secundum quamcumque perfectionem participatam; & quanto perfectio est nobilior, tanto secundum eam attenditur similitudo expressior. Contingit autem ut aliquid similitudinem Dei amittat quantum ad ulteriorem perfectionem, quod quantum ad primam perfectionem similitudinem retinet: unde in istis, secundum verba Dionysii, dicitur esse participatio divinæ bonitatis secundum obscuram resonantiam; sicut patet in peccato: quia in actu peccati est aliquid similitudinem divinam retinens, puta corporalis delectatio, vel aliquid huiusmodi à summo bono exemplatum; quamvis non sit ibi similitudo summi boni quæ est per gratiam: & ideo secundum hoc quod similitudinem Dei retinent, talia entia à Deo sunt; secundum vero quod à Dei similitudine recedunt, (6) nec entia sunt, nec à Deo sunt; cum omne ens, in quantum est ens, primo enti similetur.

Ad quintum dicendum, quod operatio illius agentis qui per se agit, oportet ut in primum agens sicut in causam reducatur: quamvis enim huiusmodi entia per se agant, quia per propriam naturam, & proprium iudicium actus suos determinant, non tamen à se habent quod agant, sed à primo agente, quod eis & esse, & posse, & agere confert.

QUÆSTIO II.

Deinde quaeritur de causa peccati: & circa hoc duo quaeruntur.

Primo. Utrum ipsius peccati Deus causa sit, absolute loquendo.

Secundo. Utrum sit causa actionis in qua deformi-

(4) Al. aut. (5) Al. adiuvit ordinari. (6) Al. nec etiam entia sunt, nec etiam à Deo sunt.

tas culpæ consistit, secundum quod actio est.

ARTICULUS I.

Utrum Deus sit simpliciter causa peccati.

1. 2. quæst. lxxix. art. 1. & de malo quæst. 111. art. 1. & III. cont. Gent. cap. clxii.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod simpliciter peccati Deus causa sit. Quia, ut in Glossa ad Rom. ix. dicitur, Deus operatur in cordibus hominum, & inclinat voluntates eorum in quodcumque voluerit, sive in bonum, sive in malum. Sed ex hoc dicitur auctor bonorum operum, quia voluntatem hominis in bonum inclinat. Ergo & eadem ratione potest dici auctor peccatorum, quæ sunt mala opera.

2. Præterea. Quicquid est causa causæ, est causa causati. Sed peccati causa est voluntas peccantis. Cum igitur voluntatis causa sit Deus, videtur quod & peccati.

3. Præterea. In eadem causam reducitur salus, & periculum alicujus: idem enim nauta est causa salutis, & periclitationis navis, ut in II. Physic. text. xxx. dicitur. Sed Deus est causa salutis humanæ, quæ est per bona opera. Ergo cum periclitatio animæ sit per peccatum, videtur quod etiam Deus sit peccati causa.

4. Præterea. Quæcumque operatio convenit rei secundum hoc quod sibi à Deo datum est, à Deo est. Sed operationes quæ sunt peccata; conveniunt homini secundum inclinationem virium sensibilium, quæ homini à Deo sunt datæ. Ergo & peccatum hominis in Deum sicut in causam reducitur.

5. Præterea. Peccatum est tenebra spiritualis. Sed tenebrarum Deus auctor est: Isa. xlv. 7. Formans lucem, & creans tenebras. Ergo peccatorum Deus causa est.

Sed contra. Fulgentius dicit, Lib. I. ad Monim. cap. xix. Illius rei Deus est ultor, cuius non est auctor. Sed peccati est ultor. Ergo ejus non est auctor.

Præterea. Quidquid fit Deo volente, fit Deo auctore, & è converso. Sed mala non fiunt Deo volente, Ergo nec eo auctore.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod peccati auctor Deus nullo modo dicitur esse. Qui enim agit propter finem, non deficit à fine nisi propter defectum alicujus, vel sui ipsius, vel alterius: & ille in quo invenitur defectus, erit causa obliationis à fine, sive sit ipsum principale agens, vel materia, vel instrumentum agentis, vel quicquid aliud: & ideo illud in quo nullo modo defectus cadere potest, non potest esse causa recessus à fine in his quæ ad finem ordinata sunt. Cum igitur peccatum dicatur propter inordinationem à fine ad quem natura rationalis ordinata est, non potest esse causa peccati Deus, in quo nullus defectus cadere potest; sed oportet quod peccatum causeatur defectu illius agentis quod est possibile ad defectum, sicut est voluntas rationalis creaturæ.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus non eodem modo inclinat voluntatem in bonum, & in malum. Inclinat siquidem voluntatem in bonum admi-

QUÆSTIO II.

nistrando virtutem agendi, & directe movendo ad bonum; sed ad malum dicitur inclinare, in quantum gratiam non præbet, per quam quis à malo retraheretur; & non quod directe voluntatem in malum ordinet.

Ad secundum dicendum, quod peccatum refertur in voluntatem sicut in causam: & quamvis voluntas sit creata à Deo, in quantum est quoddam ens, non tamen quantum ad hoc quod defectus ex ipsa incidere potest: est enim possibilis ad defectum ex hoc quod ex nihilo est. Quamvis autem Deus sit causa voluntatis, faciens eam ex nihilo; hoc tamen quod est ex nihilo esse, non habet ab alio, sed à se: unde secundum hoc non habet causam aliam; & ideo defectus qui sequitur ex ea secundum quod ex nihilo est, non oportet quod in ulteriorem causam reducatur.

Ad tertium dicendum, quod nauta est causa periculi navis per suam absentiam; Deus autem quantum in se est, nulli absens est, sed peccator absente se à Deo: & ideo ipse sui peccati causa est, in quo periclitatur, & non Deus.

Ad quartum dicendum, quod concupiscibilis, & irascibilis à Deo homini datæ sunt, ita ut rationi subdantur. Unde si quis eis utatur secundum illum ordinem prout à Deo datæ sunt, talis operationis Deus auctor erit; sed in hoc peccatum esse non poterit. Si quis autem eis utatur præter rationis ordinem, talis abusionis Deus auctor non erit, quia in hac peccatum est.

Ad quintum dicendum, quod peccatum dicitur spiritualis tenebra effective, quia scilicet mentem obtenebrat, eam lumine gratiæ privans. Nomen autem tenebræ poenam potius designat: unde etiam tenebræ Deus auctor est, sicut & aliarum poenarum, ut infra ostendetur.

ARTICULUS II.

Utrum actio peccati, in quantum actio, sit à Deo.

1. P. quæst. xlviii. art. 6. & de malo quæst. 1. a. 5.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod actio peccati, in quantum est actio, à Deo non sit. Omne enim quod est à Deo, bonum est; & omne bonum, alicui bonum est. Quædam autem peccata sunt quorum actus nulli boni sunt: quia & facti nocent, & ei in quem fiunt. Ergo tales actus nullo modo à Deo sunt.

2. Præterea. Quidquid est causa actionis in qua deformitas fundatur, secundum quam actio mala dicitur, est movens, & cooperans ad malum: nihil enim operatur ad malum, nisi secundum quod talem actionem producit. Sed Deus nullo modo ad malum cooperari debet dici. Ergo illius actionis in qua malum consistit inseparabiliter, causa dicitur non est.

3. Præterea. Bonarum actionum Deus non est auctor, nisi secundum quod Deus potentiæ agendi efficaciam confert, quia determinatio operis ex libero arbitrio est, ut supra habitum est. Si igitur Deus ipsarum actionum malarum, in quantum actiones sunt à potentia egredientes, causa esset, eodem modo dicitur esse auctor malarum actionum, sicut est auctor bonarum.

4. Præterea. Quod convenit alicui secundum genus, & differentiam suam constitutivam, convenit sibi per suam essentiam: quia essentia rei his signi-

In II. Sent. Tom. II.

ficatur. Sed quidam actus sunt qui ex genere suo mali sunt, ut supra habitum est; & quidam qui ex differentia, per quam in speciem contrahuntur. Ergo per essentiam suam mali sunt: & ita nec etiam in quantum sunt, à Deo sunt.

5. Præterea. Rei non assignatur causa efficiens, secundum quod est in intellectu, sed secundum quod est in re. Sed quidam actus sunt in quibus non potest separari illud quod est de natura actus à deformitate nisi secundum intellectum, quia bene fieri non possunt. Ergo non causantur nisi secundum quod stant sub illa deformitate. Sed ut sunt sub deformitate, non sunt à Deo. Ergo nullo modo à Deo sunt.

Sed contra. Omne bonum à Deo est. Sed quædam peccata sunt quæ habent malitiam ex aliqua circumstantia superveniente, & tamen actus sunt boni ex genere, ut dare eleemosynam propter inanem gloriam. Ergo horum, in quantum sunt actus quidam, Deus causa est.

Præterea. Quidquid non est causa operationis per quam aliqua substantia in esse producit, non est causa illius substantiæ. Sed per aliquam actionem peccati, substantiæ quædam in esse producit, sicut per adulteria, & fornicationes homines generantur. Si ergo harum actionum Deus causa non est, in quantum actiones sunt, tunc nec hominum qui per has actiones generantur, est causa: quod est absurdum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hanc questionem tanguntur à Magistro quæ opiniones. Una quarum dicebat, omnes actus, in quantum actus sunt, ex Deo esse; sed quod in quantum deformitatem habent, à Deo non sunt, sed ab homine, vel diabolo: & horum rationes supra xxxi. distinct. prosecutus est. Alia opinio dicebat, actus peccatorum nullo modo, nec etiam in quantum actus sunt, à Deo esse: & hæc opinio tangitur in præsentibus dist. quam ad præsens nulli, vel pauci tenent, quia propinquissima est errori duplici. Primo quia ex ea videtur sequi quod sint plura prima principia: hoc enim est de ratione primi principii ut agere possit sine auxilio prioris agentis, & influentia ejus: unde si voluntas humana actionem aliquam posset producere cujus auctor Deus non esset, voluntas humana rationem primi principii haberet: quamvis solvere hoc nitantur, dicentes, quod voluntas etsi per se possit actionem producere sine influentia prioris agentis, non tamen habet à se esse, sed ab alio, quod etiam exigeretur ad rationem primi principii. Sed hoc videtur inconveniens, ut quod à se esse non habet, à se agere possit; cum etiam per se durare non possit quod à se non est. Omnis etiam virtus ab essentia procedit, & operatio à virtute: unde cujus essentia ab alio est, oportet quod virtus, & operatio ab alio sit. Et præterea quamvis per hanc responsionem evitaretur quod non esset primum simpliciter, non tamen posset vitari quin esset primum agens, si ejus actio in aliquid prius agens non reduceretur sicut in causam. Secundo quia cum actio etiam peccati sit ens quoddam, non solum secundum quod privationes, & negationes entia dicuntur, sed etiam secundum quod res in genere existentes entia sunt, eo quod & ipsæ actiones in genere ordinantur; sequeretur, si actiones peccati à Deo non sunt, quod aliud ens essentiam habens à Deo non esset; & ita Deus non esset universalis causa omnium entium: quod

quod est contra perfectionem primi entis. Primum enim in quolibet genere est causa eorum quæ sunt post, ut in II. Metaph. text. iv. dicitur. Et ideo cum prima opinione dicendum est, quod actus, in quantum actus, à Deo est, & ut sic non habet aliquid quod deformitatem habeat: quod qualiter sit, ita considerari potest. In omnibus enim in quibus incidit defectus ex causa secunda, & non ex causa prima, oportet quod quidquid est in effectu deficiente essentia, & bonitatis, totum à prima procedat. Quod autem defectus reducat in causam secundam deficientem, patet in claudicatione, quæ est à virtute gressiva, mediante tibia, per cuius scilicet tibie curvatur obliquitas in gressu claudicantis relinquitur: unde quidquid est ibi de gressu, totum est à virtute gressiva; sed defectus, vel obliquitas gressus non est à virtute gressiva, sed à tibia tantum. Similiter etiam est ordo Dei ad voluntatem (1) creatam, sicut causæ primæ ad causam secundam. Ideo ex parte Dei nullus defectus incidere potest; voluntas autem creata ad defectum possibilis est: & ideo quidquid est in actu deficiente, scilicet peccato, de ratione actus, & entis, & boni, totum hoc à primo agente, scilicet Deo, procedit mediante voluntate; sed ipse defectus qui est in actu, hoc modo est à voluntate quod à Deo non procedit: & ideo quodcumque nomen deformitatem simul cum actu significat, sive in generali, sive in speciali, non potest dici quod hoc à Deo sit simpliciter: unde non potest dici absolute, quod peccatum sit à Deo; ut homicidium, aut aliquid huiusmodi, nisi cum hac additione, in quantum est actus, & in quantum est ens.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur actus peccati nulli bonus esse, hoc convenit sibi secundum quod sub deformitate consideratur; & hoc modo non reducit in Deum sicut in causam. Nullus tamen actus est qui secundum se consideratus, secundum hoc quod bonus est, alicui etiam bonus non sit; sicut actus fornicationis, in quantum est delectabilis, est bonum concupiscibile.

Ad secundum dicendum, quod illud dicitur ad malum cooperari quod inclinatur ad actionem, secundum quod actio deformitati substat, unde mala est. Hoc autem Deo non convenit; & ideo non oportet ut ad malum cooperari dicatur, quamvis actionis illius causa sit in qua malum consistit, secundum quod influit agenti esse, posse, & agere, & quidquid perfectionis in agente est.

Ad tertium dicendum, quod Deus dicitur causa bonarum operationum, non solum quantum ad essentiam actus, sed etiam quantum ad perfectionem, secundum quam bonæ dicuntur: utrumque enim agenti influit, & ut agat, & ut bene agat. Sed in malis actionibus quamvis sit causa earum quantum ad essentiam, non tamen est causa quantum ad defectum; & ideo absolute dicendus est causa bonorum operum, non autem peccatorum.

Ad quartum dicendum, quod, sicut supra dicitur est xxxv. dist. ipsa privatio qua aliquid malum dicitur, non potest esse differentia, neque genus; sed unusquisque actus specificatur, & in genere ponitur per aliquid positive dictum. Sed positionem utramque, per quam scilicet ponitur actus in genere, vel in specie, potest consequi privatio aliqua: & ideo quidam actus dicuntur mali ex genere, vel ex eo quod in speciem trahit.

Ad quintum dicendum, quod sicut actio quæ pec-

(1) Al. causatam, & sic infra.

cati deformitatem habet, dicitur bona, in quantum est actio, bonitate naturæ, non propter hoc quod aliquando inveniatur separata à deformitate, sed quia bonitas illa naturæ, deformitati substat; ita etiam Deus dicitur esse causa illius actionis, in quantum est actio, & non in quantum est deformatio, hoc modo quod actionem non faciat à deformitate separata, sed quia in actione deformitati conjuncta hoc quod est actionis, facit, & quod deformitatis, non facit: etsi enim in aliquo effectu plura inseparabiliter conjuncta sint, non oportet ut quidquid est causa ejus quantum ad unum, sit causa ejus quantum ad alterum; sicut natura est causa oculi quantum ad substantiam ejus, & non quantum ad defectum cæcitatatis, quæ ex naturæ defectu incidit.

QUÆSTIO III.

Deinde queritur de causa pœnæ: & circa hoc queruntur duo.

Primo. Utrum Deus sit causa pœnæ.

Secundo. De quo per prius dicatur malum, scilicet de culpa, vel de pœna.

ARTICULUS I.

Utrum pœna sit à Deo.

I. P. quæst. XLIX. art. 2.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod pœna à Deo non sit. Omne enim malum contrariatur alicui bono. Sed pœna est quoddam malum, cum noceat. Ergo alicui bono contrariatur. Sed quod contrariatur bono, non potest esse à summo bono: quia sic summum bonum non posset esse auctor pacis, sed pugnæ, & dissensionis, si ab eo contraria procederent. Ergo pœna non est à Deo.

2. Præterea. Omne quod est præter intentionem agentis, incidit ex aliquo defectu. Sed omne malum est præter intentionem agentis, ut Dionysius dicit, cap. iv. de div. Nom. quia nihil ad malum respiciens operatur. Ergo omne malum ex defectu aliquo incidit. Sed quidquid incidit ex defectu, non reducit in Deum sicut in causam, ut supra ostensum est. Ergo non est à Deo.

3. Præterea. Quidquid non est causa actionis, non est causa illius quod per actionem causatur, ut dictum est. Sed multe pœnæ sunt quæ aliquibus per aliorum peccata infliguntur: multi enim afflictionibus puniuntur per eos qui injuste opprimunt. Cum igitur culpæ Deus non sit causa, videtur quod nec omnis pœnæ.

4. Præterea. Quidquid est à Deo, in bonum tendit. Sed quædam pœnæ sunt quæ ad malum inclinant, ut fomes, & huiusmodi. Ergo non omnis pœna à Deo est.

5. Præterea. Cujus generatio bona est, corruptio ejus mala est. Sed generatio gratiæ bona est, quia à Deo est. Ergo & corruptio gratiæ mala est. Sed corruptio gratiæ est quædam pœna. Ergo non omnis pœna est à Deo, cum Deus tantummodo bonorum sit causa.

Sed contra. Omne quod justum est, bonum est; & omne quod bonum est, à Deo est. Sed omnis pœna justa est, ut Augustinus probavit in præcedenti distinctione. Ergo omnis pœna à Deo est.

Præ-

Præterea. Ad eundem pertinet remuneratio, & condemnatio, scilicet ad eum qui iudicium de actibus habet bonis, vel malis. Sed præmiâ reddere bonis operibus, Dei est. Ergo & pœnas etiam infligere ipsius est. Ergo omnis pœna à Deo est.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod pœna duo habet in se, scilicet rationem mali, secundum quod est alicujus boni privatio; & rationem boni, secundum quod justa est, & ordinata est. Quidam igitur antiqui considerantes pœnam tantum ex parte illa in qua defectus est, & malum, dixerunt, pœnas à Deo non esse: in quem errorem etiam Tullius incidisse videtur, ut patet in Libro de Officiis, II. §. II. Huiusmodi enim homines providentiam Dei negaverunt de humanis actibus: unde ordinem qui est pœnæ respectu culpæ, non dicebant per providentiam divinam esse, sed per justitiam hominis pœnam infligentis; defectum autem qui est in pœna, non à Deo ordinatum esse, sed ex necessitate causarum secundarum incidere: ponebant enim Deum res in esse produxisse, sicut producit agens ex necessitate naturæ, ut scilicet ex uno primo, in quo nullus defectus est, unum primum procederet ab ejus perfectione distans; & secundum quod longior sit distantia ab uno primo per ordinem causæ, & causati, magis dicebant defectum incidere. Hæc autem positio erronea est, sicut in I. Lib. dist. xxxix. patuit, ubi dictum est, providentiam divinam ad omnia se extendere. Et ideo dicendum est, pœnas à Deo esse, nullo autem modo culpam à Deo esse, quamvis utrumque malum dicatur. Cujus ratio est, quia unicuique rei assignatur causa agens, secundum quod ab agente res illa progreditur. Culpa autem rationem mali, & defectus habet, secundum quod ab agente suo progreditur, quod actionem suam in debitum finem non ordinat: & ideo culpæ causa assignari non potest, (1) nisi talis in quam defectus cadere possit. Pœna autem non habet rationem mali, vel defectus, secundum quod ab agente procedit, quia per ordinatam actionem agentis pœna infligitur; sed habet rationem defectus, & mali in ipso recipiente actionem tantum, quod per justam actionem aliquo bono privatur: & ideo pœnæ Deus est auctor, diversimode vero diversarum. Quædam enim est pœna damni, ut subtractio gratiæ, & huiusmodi; & harum pœnarum Deus causa est, non quidem agendo aliquid, sed potius non agendo: ex eo enim quod Deus gratiam non influit, consequitur in isto gratiæ privatio. Quædam vero pœna sensus est, quæ per aliquam actionem infligitur; & huius etiam agendo Deus auctor est.

Ad primum ergo dicendum, quod unum bonum particulare contrariatur alii bono particulari, sicut calidum frigidum; & utrumque à Deo est: nec tamen sequitur quod Deus pacis auctor non sit, quia ipsa etiam contrarietum pugna ad aliquam unionem ordinatur, qua scilicet ad formam mixti conveniunt, & etiam secundum quod in universo per modum cuiusdam consonantiæ ordinantur: ita etiam non est inconveniens, (2) quamvis bonum naturæ à Deo sit, quod etiam pœna, quæ sibi contrariatur, in quantum bona est, à Deo sit.

Ad secundum dicendum, quod nullum malum, nec aliquis defectus à Deo, vel agente alio intentum

In II. Sent. Tom. II.

(1) Al. ne sit talis. (2) Al. ut quamvis, see, ob

est; sed omne malum, & defectus incidunt ex defectu aliquo, vel ex defectu causæ agentis, vel ex defectu materiæ recipientis: malum enim culpæ incidit ex defectu causæ agentis, & ideo in causam agentem quæ deficere non potest, reduci non potest; malum autem pœnæ incidit ex defectu materiæ: quod sic patet. Ordinem justitiæ justus iudex in suis subditis ponere intendit. Ille ordo non potest in peccante recipi, nisi secundum quod per defectum aliquem punitur: & ideo quamvis defectus ille ratione cuius pœna malum dicitur, à iudice intentus non sit, sed ordo justitiæ; tamen justus iudex pœnæ auctor dicitur, secundum quod pœna ordinatum quid dicitur, & ita pœnarum Deus auctor est.

Ad tertium dicendum, quod quamvis actionis turpis Deus non sit causa, secundum quod deformitati substat, est tamen causa ejus, secundum quod actio quædam est; & ideo etiam potest dici causa ejus quod per illam actionem effectum est.

Ad quartum dicendum, quod pœna non inclinatur ad malum culpæ directe per modum habitus, & dispositionis, sed indirecte, in quantum per pœnam privatur aliquid quo quis à culpa retrahebatur: & hoc non est inconveniens, ut dicatur Deus subtrahere illud quo quis à culpa conservabatur immunis, scilicet gratiam.

Ad quintum dicendum, quod quamvis corruptio gratiæ in se malum sit, tamen quod iste qui gratia indignus est, gratia privetur, bonum, & justum est; & hoc modo à Deo est ordinante.

ARTICULUS II.

Utrum malum per prius dicatur de pœna quam de culpa.

I. P. q. XLVIII. art. 6. & de malo q. 1. art. 5.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod malum per prius dicatur de pœna quam de culpa. Bonum enim, cum sit in omnibus generibus, per prius est in substantia quam in aliis, ut ex I. Ethic. patet. Sed malum pœnæ privat bonum quod est in substantia; sicut mors, quæ quædam pœna est, perfectionem substantialem privat; sed malum culpæ est malum in actione. Ergo per prius malum dicitur de pœna quam de culpa.

2. Præterea. Perfectio secunda quæ est operatio, descendit à perfectione prima, quæ est forma. Sed supra dictum est, quod pœna opponitur perfectioni primæ; culpa autem perfectioni secundæ, quæ est operatio. Ergo malum per prius invenitur in pœna quam in culpa.

3. Præterea. Sicut se habet præmiû ad meritum, ita se habet pœna ad culpam. Sed præmiû est magis bonum, & per prius quam meritum. Ergo & pœna est magis malum quam culpa. Sed id quod est prius in his quæ secundum prius & posterius dicuntur, etiam maxime dicitur, sicut ignis maxime calidus: unde quod primum est, est illud quod magis dicitur, ut ex II. Metaph. text. iv. patet. Ergo per prius dicitur malum de pœna quam de culpa.

4. Ad idem. Sicut bonum, in eo quod bonum, desideratur, ita malum in eo quod malum, vitatur. Sed illud propter quod desideratur aliquid, est magis bonum. Ergo illud propter quod vitatur, aliquid, est magis malum. Ergo illud propter quod vitatur, aliquid, est magis malum.

Zz2

quid, est magis malum. Sed culpa vitatur propter pœnam. Ergo pœna est magis malum quam culpa; & sic idem quod prius.

Præterea. Ut supra dicit Augustinus, de moribus Manich. cap. 111. malum dicitur aliquid, quia nocet. Ergo cui verius convenit ratio nocenti, verius convenit ratio mali. Sed verius convenit pœnæ quam culpæ: quia verius est quod per essentiam dicitur, quam quod per participationem denominatur, sicut albedo verius dicit naturam albedinis quam album. Pœna autem est ipsum nocendum, sed culpa nocens denominative dicitur. Ergo & ratio mali per prius invenitur in pœna quam in culpa.

Sed contra. Causa præcedit causatum. Sed malum culpæ est causa mali pœnæ. Ergo prius est malum culpæ quam pœnæ.

Præterea. Dionysius dicit 14. cap. de div. Nom. quod puniri non est malum, sed fieri pœna dignum. Non autem aliquis efficitur pœna dignus nisi per culpam. Ergo magis proprie culpa malum dicitur quam pœna.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod malum per prius de culpa dicitur quam de pœna, & magis culpæ quam pœnæ ratio mali convenit: cuius ratio assignatur à quibusdam ex parte boni, quod per malum privatur: dicunt enim, quod per culpam separatur aliquis à fine ultimo, quod est summum bonum, in quo primo ratio boni invenitur: unde & in malo quod ab ipso separat, primo invenitur ratio mali; in pœna autem consequenter, quæ bonum naturæ creatæ privat, quod est à summo bono deductum. Sed ista ratio videtur insufficiens: quia culpa, & pœna non differunt secundum illud bonum quod per utrumque privatur, quia illud idem bonum quod active culpa privat, est illud cuius passiva privatio pœna quædam est: unde & subtractio gratiæ, per quam anima Deo conjungitur, & carentia visionis divinæ, pœnæ quædam sunt. Sed ratio assignata non rangit nisi pœnas corporales: unde non est universalis; & ideo huiusmodi rationem oportet aliter invenire, ex propria ratione culpæ, & ex propria ratione pœnæ. Sciendum est igitur, quod ratio boni à fine sumitur, ut ex II. Metaph. text. VIII. patet: finis autem est perfectio agentis in quantum est agens, eo quod finis movet agentem ad operandum: unde finis, & etiam obliquatio à fine, per prius comparatur ad agens quam ad patiens: & ideo illud malum quod rationem mali habet, secundum quod ab operante est, propinquius se habet ad finem, quam illud malum quod per actum operantis in aliquo patiente inducitur: unde prior est recessus à fine in culpa, quæ rationem mali habet, secundum quod ab operante exit, quam in pœna, quæ rationem mali habet, secundum quod in patiente efficitur defectus quidam per aliquam actionem vel ejusdem, vel alterius: ejusdem, ut pœnæ quæ consequuntur statim ex actu peccati, sicut per actum culpæ sequitur subtractio gratiæ in peccante; & per prius est inordinatio actus (qui est à peccante, in quantum est agens, rationem mali habens) quam ipsa subtractio gratiæ, quæ est malum pœnæ: per actionem autem alterius, sicut pœna quæ infligitur peccatori per actum iudicis.

Ad primum ergo dicendum, quod intensio, vel remissio alicujus potest esse dupliciter: vel per se, vel per accidens. Per se quando est intensio secundum id quod ad naturam rei pertinet; per accidens autem, quando dicitur magis & minus, non secundum

magnitudinem quæ propria est rei, quæ dicitur major, vel minor, sed secundum magnitudinem alterius; sicut albedo dicitur major, vel propter intensiorem principiorum albedinis, vel propter magnitudinem superficiem. Ita etiam magnitudo potest attendi in malo vel secundum rationem propriam mali, vel secundum rationem boni quod privatur per malum; & illa est essentialior malo quæ per se est, quam quæ per accidens. Et secundum hoc dico, quod per se loquendo non dicitur prius, vel posterius malum, secundum quod per ipsum prius, & posterius bonum privatur; sed secundum quod per prius rationem mali participat, quæ est in recedendo à fine. Unde non oportet quod malum pœnæ, per quod bonum substantiale privatur, sit magis malum simpliciter, vel per prius quam malum culpæ, quod est in actione.

Ad secundum dicendum, quod perfectio prima se habet in duplici ordine ad operationem: quia operatio terminatur ad perfectionem primam; & ideo operatio à perfectione prima elicitur: & similiter etiam est de privatione perfectionis primæ. Pœna autem nominat privationem perfectionis primæ, secundum quod ad eam operatio terminatur, quia pœna dicit effectum culpæ; & ideo non oportet quod culpa per posterius malum dicatur.

Ad tertium dicendum, quod sicut præmium est ordinativum meriti, ita & pœna est ordinativa culpæ: unde utrumque, scilicet præmium, & pœna, quamdam bonitatem habent ex hoc quod ordinatum est. Unde non oportet quod si præmium est magis bonum, pœna sit magis malum, sed minus, in quantum habet aliquam perfectionem boni.

Ad quartum dicendum, quod culpa est propter se vitanda, etiamsi nulla pœna sequeretur: unde virtuosus plus culpam quam pœnam fugit, ad quem oportet mensurare actus aliorum hominum, ut Philosophus in III. Ethic. cap. VII. dicit.

Ad quintum dicendum, quod quidquid invenitur in causa, & causato, per prius est in causa quam in causato. Unde cum hoc nocendum quod est pœna, sit per culpam inductum, ratio nocuitatis prius invenitur in culpa quam in pœna, quamvis pœna sit ipsum nocendum: quia hoc ipsum quod pœna nocendum est, à nocuitate culpæ procedit.

EXPOSITIO TEXTUS.

NON quia non sit actio, vel voluntas mala quæ aliquid est; sed quia à vero esse separat homines. Istud inconvenienter dicitur. Constat enim quod actio, in quantum est actio, non est separata à vero esse, sed in quantum est inordinata. Unde quod peccatum dicatur nihil, non est ratione actionis, sed ratione inordinationis.

Hic de substantiis, atque naturis tantum accipienda fore tradunt. Ex hoc non plus habetur, nisi quod substantia, & natura uno modo accepta, differunt ab actione bona, & mala: & hoc verum est.

Opera diaboli, quæ vitia dicuntur, actus sunt, non res. Dicuntur non esse res ex ea parte qua habent quod vitia sint, scilicet ex parte privationis.

Sunt ergo aliqua res quibus homines mali sunt. Verum est; sed non eis homines mali sunt in quantum sunt res, sed in quantum alicui privationis subsistunt.

Quid ergo mirum, si Deus dicitur non esse auctor eorum? Istæ obiectio nulla est: quia ejus quod nihil est, potest aliquid esse causa, non quidem directe agendo, sed removendo prohibens; sicut claudens fen-

nestram facit tenebras (quæ nihil sunt) dum removet (1) lucem, quæ tenebras prohibebat: ita etiam & privationem aliquam quæ pœna est, Deus efficere potest, quamvis illa privatio nihil sit, non præbendo gratiam, causat privationem gratiæ. Sed illud defectum, prout in eo ratio culpæ consistit, causare non potest Deus, ut dictum est.

Bonorum, illi subintelligi volunt. Istæ responsio nulla est: quia non minus est verum quod omne ens est à primo ente quam quod omne bonum est à primo bono: unde in quocumque invenitur natura entis, in-

venitur natura boni; & ideo oportet omne ens absolute à Deo esse.

Iniquitas quippe ipsa non est substantia. Hic accipit Augustinus substantiam non prout significat rem primi prædicamenti, sed prout significat essentiam rei in quocumque genere existentis. Iniquitas enim parte defectus, unde iniquitatis rationem habet, essentia caret. Si autem acciperet substantiam, secundum quod significat prædicamentum primum, æqualiter verum esset quod justitia non est substantia, sicut quod iniquitas non est substantia.

DISTINCTIO XXXVIII.

De voluntate, & ejus fine, ex quo & ipsa judicatur.

Post prædicta, de voluntate, & ejus fine disserendum est. Sciendum igitur est, quod ex fine suo, ut ait Augustinus, (a) voluntas cognoscitur, utrum recta, an prava sit. Finis autem bonæ voluntatis beatitudo est, vita æterna, Deus ipse. Malæ vero finis est aliud, scilicet mala delectatio, vel aliquid aliud, in quo non debet voluntas quiescere. Finem bonum insinuat Propheta, Psalm. cxvi 11. 96. dicens: „Vidi finem omnium consummationis: latum mandatum tuum nimis.“ Charitas ergo, cujus latum mandatum est, finis quidem omnis consummationis est, id est omnis bonæ voluntatis, & actionis, ad quam omne præceptum referendum est. Unde Augustinus in Enchir. cap. xlii. 7. Omnia præcepta divina referuntur ad charitatem: de qua dicit Apostolus, I. Tim. 1. 5. Præcepti finis est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Omnis itaque præcepti finis charitas est; id est, ad charitatem referuntur omnia præcepta. Quod vero ita fit vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad charitatem, quæ est dilectio Dei, & proximi, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur. Tunc enim recte sunt quæ mandat Deus, & quæ consilio monet, cum referuntur ad dilectionem Dei, & proximi. His verbis aperissime insinuat quis sit rectus voluntatis finis, sive actionis (2) bonæ, scilicet charitas, quæ & Deus est, ut supra ostendimus.

Quod Deus est finis omnis bonæ actionis, quia charitas est; nec tantum Spiritus Sanctus, sed & Christus, & Pater; nec hi sunt tres fines, sed unus.

QUI ergo charitatem sibi ponit finem, Deus sibi ponit finem. Unde & Christum finem legis ad justitiam dicit Apostolus esse omni credenti, Rom. x. & recte dicitur Christus finis legis ad justitiam, quia, ut ait Augustinus in Lib. Sententiarum Prosperi, (b) in Christo lex justitiæ non consumitur, sed impletur. Omnis enim perfectio ex ipso est, ultra quem non est quo spes se extendat. (c) Finis fidelium Christus est, ad quem cum pervenerit currentis intentio, non habet quo possit amplius (3) venire, sed habet in quo debeat permanere. Finis ergo rectus, atque supremus, Deus est, Pater scilicet, & Filius, & Spiritus Sanctus; neque hi tres sunt tres fines, sed unus finis: quia non tres Dii, sed unus Deus.

Quod omnes bonæ voluntates unum habent finem, & tamen quædam bonæ diversos fines sortiuntur.

SED queritur, utrum omnes bonæ voluntates unum tantum habeant finem. De hoc Augustinus in Lib. XI. de Trinit. cap. vi. ita ait: „Aliæ atque aliæ voluntates suos proprios fines habent, qui tamen referuntur ad finem illius voluntatis qua beate vivere volumus, & ad eam pervenire vitam, quæ non referatur ad aliud, sed amanti per seipsam sufficiat; quemadmodum voluntas videndi, finem habet visionem, & voluntas videndi fenestram, finem habet fenestræ visionem: altera vero est voluntas per fenestram videndi transeuntes, cujus (4) certe finis est transeuntium visio, ad quod etiam prædictæ referuntur voluntates. Item rectæ sunt voluntates, & omnes sibi met religatæ, sibi bona est illa ad quam cunctæ referuntur; si autem prava est, pravæ sunt omnes: & ideo rectarum voluntatum connexio, iter quoddam est ascensum ad beatitudinem, quod certis velut passibus agitur, pravæ autem, & distortarum voluntatum implicatio, vinculum est quo alligabitur qui hoc agit, ut projiciatur in tenebras exteriores.“ His auctoritatis testimoniis evidenter monstratur, plures in fidelibus esse voluntates rectas, proprias, ac diversos fines habentes; & tamen unum eundemque: quia omnes referuntur ad unum, qui est finis finium, de quo paullo ante diximus. Ita è converso forte est & in malis.

Quædam sunt voluntates, quæ referuntur ad unum, qui est finis finium, de quo paullo ante diximus. Ita è converso forte est & in malis.

(1) Al. lumen, quod: item lucem, quod non prohibebat. (2) Al. deest bonæ. (3) Al. invenire. (4) Al. item.

Ex EDIT. P. NICOLAI. (a) In Enchirid. cap. ci. & Lib. XIV. de Civit. Dei cap. vii. (b) Sentent. xxx. (c) Sent. cclx. Permixture prius confundebatur cum prædictis, quasi omnia ex eodem capite sumpta essent, ac ex cap. ix. indicabantur ad marginem.